

& quiete. Nulli igitur liceat hanc paginam nostre donationis & confirmationis infringere vel turbare. Si quis vero attemptare presumpserit, trinum et unum Deum iratum habeat et maledictionem CCCXVIII sanctorum patrum incurrat, et aliorum sanctorum, ac cum Juda proditore in inferno damnetur eterno supplicio. Acta sunt hec in presentia horum servorum Dei, videlicet Stephani Episcopi Jaderline Episcopi chroatensis. Gregorii Episcopi Arbensis. Theodosii Episcopi Belgradensis. Basilii Episcopi Absarensis. Formini Episcopi Nonensis. Joannis Episcopi Traguriensis et Dabri Abbatis S. Stephani. Nec non Comitum et Baronum: Dominici Tepzii Curialis Comitis. Kirne Comitis. Dobrici Comitis Cleunensis. Pribino Cetinensis Comitis. Lubimiri Comitis. Et aliorum nostrorum Comitum et Baronum, ubi fuit fidelium maxima Congregatio. Pro quibus omnibus, et singulis perpetuum robur habentibus, atque tenentibus, presentis privilegii paginam nostri sigilli caractere feci muniri.

(Nota in fronte Privilegii.) Exemplum sumptum ex originali in Membrana cum Sigillo magno pendente, cum cordula rubri et crocei coloris existente in Archivio Archiepiscopali Spalatensi.

Ex libro MSC.: „Donationes Principum“ p. 10. in Archivio Episcopatus Spalatensis & Farlati Illyricum Sacrum T. III. p. 147.

XIII.

Anno 1086 aut 1087. Apud castrum Sibenicum.

Post mortem Svinimiri Regis Stephanus Croatorum et Dalmatinorum Rex haereditarius, omnibus nobilibus collaudantibus solium capit.

† In christi nomine. Stephanus ego nutu dei chroacie (et dalmacie rex) huius paginis seriem uel dictaminis causam cunctis nostri regni conprovincialibus ad futuram (diuini numini)s gratiam notare his studui scriptis... Cum igitur omnipotentis dei pietas me sua clemencia p(atrum), auum, proauumque solio (in) regio, omnibus chroacie et dalmacie nobilibus collaudantibus, exaltauerit honore, undique u(niuersa) nobilitas seu exigui populi manus, ac ceteri ecclesiarum cenobiorumque (rectores, uel retroactis pro) causis (uel) confirmacio qu' uel gracia comunis nostri regni utilitatis, ad nostram ut moris est imperantibus, confluere ceperunt. Itaque mater et pro(curatrix) sanctimonialium spalatini cenobii, sancti uidelicet benedicti martiris, inter hos nostri presencia, una cum quibusdam suis sororibus, quoddam scriptum a nuper rege defuncto suinimiro concessum sibi hoc ad opus sui cenobii de quoddam territorio regali, qui in loco qui dicitur lasani habetur, secum deferens, in die natiuitatis sancte dei genitricis